

Dispp. Thh. Vol. 1.



Oelth 61 Q (1-34)

2
3
4
5
6
7
8
R



DEO JUVANTE MAXIMO!
 SCRUTINIUM PUBLICUM,
 Philologico-Theologicum,

in quo
 locus

DE SCRIPTURA
 SACRA

Ex Generali Instructione & Catenâ Fidei

Per septem Classis Secundæ Auditores industrios

sic resolveretur,

Ut Dicta Biblica ex Fonte ipso recitata, & Grammaticè ad Logicè resoluta excutiantur, de iis Conclusiones Theologicæ propositæ Syllogismis confirmetur, & de Controversiis in hoc loco motis formaliter, tum Opponendo, tum Respondendo disputetur.

In Majore Gymnasii Gedanensis Auditorio

Horâ octavâ matutinâ die 15. Julii

ANNO MDC LX.

instituentur.

Ad quod invitentur.

Natalium, Dignitatum, Officiorum, Doctrinæ & Virtutum
 splendore eminentes

Domini Mecenates, Patroni, Fautores, & Bonarum

Literarum Promotores, & Amatores

câ, quâ par est obſervantiâ,

invitantur.

à

JOHANNE Mauſiſch / Freibergenſi,

SS. Theologiæ Doctore & Professore P.


Gymnaf: Gedanenſis Rectore &

Pastore SS. Trinitatis.

u 17

DANTISCI, Imprimebat DAVID-FRIDERICUS RHETIUS.




Habereat istud animo, & tanquam missum Oraculo
placeat:

Optima quæq; dies miseris Mortalibus ævi
Prima fugit — — —

Ita Seneca, Philosophorum, melius de rebus humanis sentientium, Aquila, Temporis in ætate Juvenili quàm optimè locandi rationem & Usuram Epistolâ 108. p. 834. commendat, non quæ Grammaticus, sed quæ Philosophus judicat elegantia, è versibus Virgilij collecturus. Et sanè hæc doctrina Studiosorum animis semper inculcanda est, ne tempus ætatis optimum & studiis maximè commodum vel rebus alienis, & minus frugiferis deperdant, vel etiam illa, quæ salubriter præcipiuntur, minus rectè percipiant, suoq; subigant animo. Poëta igitur versum non tam ad ingenium, quàm animum colendum tracturus Philosophus, ad eum rationem addit satis prægnantem, quare tempus illud Juvenile optimum dicendum sit. Nimirum, quia omnis disciplina & ars facilius potest imbibiri. Sic enim inter cætera pergit. *Quare Optima? Quia Juvenes possumus discere, possumus facilem animum, & adhuc tractabilem, ad meliora convertere: quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingenis, & exercendis per opera corporibus. Quod superest, segnius & languidius est, & propius à fine.* Sicut autem cæterarum rerum bonarum jacturam in earum demum amissione, ut cariorum, ita acerbiorum interpretamur, ad Comici illius Versiculum,

Tum deniq; homines nostra intelligimus bona:

Quum, qua in potestate habuimus, ea amisimus. Plaut. in Capt.

Ita



Ita præcipuè temporis, quod μέγιστον καὶ πολυτελέστατον ἀνάλωμα dicitur, sine fructu olim deperditi, memoria tristiore subit mentem. Sed hanc perditionem, rebus, interdum vilioris etiam pretii, jam occupati, non animadvertimus, ac faciliorem vitæ & annorum quàm nummorum jacturam ferimus. Hinc idem Seneca Brevit: Vitæ c. 3. p. m. 561. *Nemo invenitur qui pecuniam suam dividere velit: vitam unusquisq; quàm multis distribuit? Astricti sunt in continendo patrimonio: Simul ad temporis jacturam ventum est, profusissimi in eo, cujus unius honesta avaritia est.* Nec solum miserè tempus suum conterunt molli otio, vel ventris delitiis & vitiis dediti, è quibus eminent à Dionysio, Æneo cognominato, vituperati

Συμποσίαν ναῦται καὶ καλίκων ἐρέται.

Conviviorum Nauta & calicum remiges.

Sed etiam, qui *optimam dierum partem* iis insumunt studiis, quæ Adolescentiæ quidem jucunda, & illi ætati decora sunt, sed quorum usus, virili jam sumptâ togâ, in reliquâ vitæ telâ pertexendâ, vel exiguus vel nullus deprehenditur. *Turpe enim sit catulos ad venationes aliquando majores à teneris instrui. Adolescentes verò aliis, & à proposito vitæ scopo alienis, detineri studiis, qui aliquando vel Ecclesiam doceant, vel ad Reipublicæ clavum sedeant.* Proinde in spem Ecclesiæ, & columen Reipublicæ nati, Juvenes se ipsi cum Senecâ nostro ad Temporis, quâ optimi quâ velocissimi usuram excitent laudabilem in Epistol: 108. p. 834. *Quid ergo cessamus nos ipsi concitare, ut velocitatem rapidissima rei possimus equare? Meliora prætervolant, deteriora succedunt. Quemadmodum ex amphora primum quod est sincerissimum effluit, gravissimū quodq; turbidumq; subsidit: sic in atate nostrâ, quod est optimum, primum est. Id exhauriri in aliis potius patimur, ut nobis fæcem reservemus.* Huic porro in Scholis tacitè repenti vitio affine & illud est, quod Adolescentes interdum non infimi ingenii, magnæ certè industriæ ex schola-



ftico quodam Cacoëthe admittunt, hisce verbis ab eodem Seneca in eadem Epistolâ sed p. 830. reprehensum. *Aliqui tamen & cum pugillaribus veniunt, non ut res excipiant, sed verba: quæ tam sine profectu alieno dicant, quàm sine suo audiant.* Sic enim Bonæ Vitæ Magistri, quos Præceptores veneror, audiendi sunt, ut ipsorum verba penitus intelligamus, non signa sed *animū* induamus animo, ipsamq; doctrinam verbis commodis explanatam in usum nostrum transferamus. Id quod vel agrorum cultura nos docebit. *Pluvia fertilis ab alto demissa sic à terra frugibus imbibitur, ut à radicibus humor exceptus in totam abeat substantiam, ipsaq; fruges ex eo latum & viridans patiantur incrementum.* Num frugibus Adolescentes bonæ frugis deteriores sint? Num illi salutarem Doctrinæ pluviam solis pugillaribus vel chartulis hauriant, sed animo ex iis culto minus beatiore? An Psttatorum more verba reddant, quæ homines ab humanæ vitæ Artificibus & Cultoribus acceperunt? Quin imò si vel hæc ætas, præcipiti lapsa ingenio, rebus suis minus prospicere valeat: Non tamen nos vitæ melius formandæ præfecti hanc incogitantiam æquo possumus ferre animo. Præceptores, quorum candor & labor Republicæ sit proficiuus, non ex verbis, sed ingenio suo fingant discipulos: Non præcepta benè multa chartaceis paginis illinant, sed animis indant, ut plùs *menti* quàm *atramento* debeatur. Hoc utrumq; vitium, Scholasticis erroribus familiare, ut è nostro exterminarem Gymnasio, labore hætenus non uno fui defunctus. *Priam* ceu *Optimam ævi diem*, quæ pueritiæ & adolescentiæ est, ætatis scilicet bonis literis discendis aptissimæ, quàm optimè poni, eamq; scientiam à nostris a seisci & addisci cupio, quæ Juventutis florem Deo consecret, in virili ætate virens, Doctrinæ maturitatem prodat, & sub senectutis fæce suos etiam fructus tueatur, imò, quæ non tam vitam felicitate & virtute *perennem* pariat, sed etiam *æternam* parturiat. De hæc, non *Senecam*, in spissâ gentilium caligine

fagine stricturas aliquas humanæ scientiæ edentem, sed *Christum*
Jesum, *Solem illum Justitiæ*, ad æternæ beatitudinis lucem nos illu-
 minantem, audiemus, qui Divinum hoc effatum ex Patris Cœle-
 stis sinu protulit. Joh. XVII. v. 3. *Αὕτη δέεσις ἡ αἰώνιος ζωὴ ἵνα γι-
 γώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν.* hoc est,
Hæc est Vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEum, & quem misisti
Jesum Christum. Hic istam primam ætatem Regno Cœlesti capien-
 do convenientissimam judicat Matth. XVIII. v. 3. & Marc. X.
 v. 14. 15. Hic salutarem Dei notitiam cæteris bonis omnibus,
 quibus conquirendis hæc vita dilapidatur, proponit, Matth. XVI.
 v. 26. *Τί ὠφελεῖται ἄνθρωπος ἴαν τὸν κόσμον ὅλον κερδήσῃ, τὴν δ
 ψυχὴν αὐτῆ ζημιωθῆ ἢ τί δώσῃ ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς
 αὐτῆ.* h. e. *Quid prodest homini, si universum Mundum lucretur, anima*
verò sua detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutatio-
 nem pro animâ suâ? Hic deniq; verba sua non virtute cassa, sed
 vitam & Spiritum prædicat Joh. 6. v. 63. *Τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λα-
 λῶ ὑμῖν, πνεῦμά ἐστι καὶ ζωὴ εἰσι.* Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus &
 vita sunt. Quæ verba vivifica ut tenellis nostræ pueritiæ infere-
 rentur animis, tot Actûs & Scrutinia hætenus institui publica,
 Christo meo Domino & Salvatore, sanctissimas delitias, quæ sunt
 pueri, salutari DEI notitiâ præditi, oblaturus. Jam nos majora
 juvant: *Actus* scilicet publicus e VII. *Clasfis Secunda Auditoribus*
 die 15. Julii constituendus, in quò ea, quæ à Philosopho prudenter,
 ab ipsâ verò Cœlesti sapientiâ *salutariter* fuerunt monita, pensi
 habebuntur. *Prima* namq; velut *optima Dies*, ne sine commodo
 & literarum incremento fugiat, ab ipsis occupabitur, utpote,
 qui se invicem sic Senecæ verbis cohortentur: *Toto hoc agamus*
animo, & omisiss ad quæ divertimus, in rem unam laboremus: ne hanc
Temporis permioisissimi celeritatem, quam retinere non possumus, relictî
demum intelligamus. *Primus* quisq; tanquam *optimus dies* placeat, &
 redigatur in nostrum. Epist. 108. p. 835. *Primum* igitur in plerisq;
 Theo-

Theologiæ Compendiis locum de Scripturâ Sacrà sic nostri ex-
pendent Adolescentes, ut ea, quæ in *Generali Instruktionē nostrâ* de
Scripturâ Sacrà fuerunt tradita, *Logicè* resolvant, ex observatio-
nibus Syllogismos, rectâ formâ & figurâ instructos proponant, &
distinctiones suas ad eosdem ritè & scitè applicent. Similiter,
quæ in *Catenâ Fidei*, Thesi V. & VI. è divinis literis proposita fue-
runt Oracula, verbis è fonte ipso petitis reddant, illorum *Ana-*
lysin Grammaticam instituant, & *Quæstiones seu Conclusiones* à me pro-
ponendas per *media* ex illis Scripturæ dictis deprompta confir-
ment, tandemq; mutuo literario conflictu alter alterum tum *Re-*
spondendo, tum *Opponendo* exerceat. Ex hoc constabit, Auditores
meos non cum pugillaribus tantum venisse, nec verba tantum,
sed res simul è lectionibus meis percepisse, ac in primâ ætate jam
ea ad scientiam assumere, quorum usus juvenilem ætatem orna-
bit, virilem coronabit, & senilem solabitur. In Philosophicis
Axiomata & Canones, qui rectè callent, magnum in iis jam scientiæ
lumen acquisivit. Quidni dicta hujusmodi Scripturæ ex ipso
Fonte sacro rectè intellecta, & memoriæ inscripta, ceu *Maxi-*
ma Theologica per omnem vitam suam diffundant utilitatem.
Quâ in re ut hi Adolescentes omnes ornatisimi laudem meren-
tur, ita peculiarem sibi postulat JOACHIMUS FRIDERICUS
EHLERUS, *Magnifici Domini Praefulsis FRIDERICI EHLERI,*
Dn. Patroni ac Compatri mei honoratissimi Filius, tanto Parente di-
gnus, & in hâc etiam ætate, ut ex parte *Nominis*, ita *Paterna Vir-*
tutis æmulus, qui licet animum ad studium appulerit *Politicum*,
tùm *Definitiones Theologicas*, tum *ipsa dicta Græcâ*, animo concepta
industrio, fideli custodivit memoria, ut in *hâc Classe* iis, qui
Theologiæ suum addicturi sunt animum, vel exemplo præfulse-
rit, certè à me sæpe laudatus fuerit. Nam quasi pestilens aliquod
sidus nonnullorum afflavit animos, qui ad *Medicinam, Jurispruden-*
tiam, vel Vitam Politicam animum applicaturi, jam adhuc in Gy-
mnasiis,


mnasiis, *Lectiones* aspernantur *Theologicas*, & quidem eas etiam, in quibus de Salutis Acropoli, Christianis omnibus cognitu maxime necessariâ, agitur, falso hoc tracti fascino, quod Theologiæ sacris destinati, aliarum Facultatum & Disciplinarum fundamenta minus scrutentur. Quamvis autem nec hoc utroq; probem pollice, qui, in Publicis præsertim Disputationibus, omnium exigo præsentiam. Nihilominus tamen vix quenquam sic ab omni ratione relictum esse existimo, quin disparitatem vel palpando sit deprehensus. Non omnes Corporibus Medicinam facimus, & Civitatibus jura damus: Sed omnes animæ curam sustinere, & πολιτευμα cœleste cogitare debemus. Nec peregrinas in visendo terras, aliarum Facultatum notitiâ expertes, in ea corporis & animæ incidimus pericula, quæ rerum Theologicarum ignaros in æternam Mortem possunt agere præcipites. Sed hoc nullius obfuturus commodis, urgente meâ conscientia, non tam juvenili ætati; quàm accuratiori Parentum judicio cupio commendata, qui, ut ipsi insigni rerum Theologicarum pollent notitiâ, olim in Patrio Gymnasio Theologiæ Auditores maxime seduli, ita suos etiam in tantâ hæresum multitudine in veræ Religionis principiis consolidari curabunt, ut Theologiæ fructum, quem ipsi perceperunt egregium, in suam, Abrahæ exemplo, Gen. 18. v. 19. transmittant familiam. Porro, ut illorum quoq;, qui studio imbuendi sunt Theologico præcoces & præcipites in literis imperit, nondum in Lingvis & Logicis confirmatos, carbone noto, illisq; ad decrepitæ Senectutis lineam hoc ignominia, bonis literis illata, vindicandum præfatio: sic Reverendi & Clarissimi Domini JOHANNIS HEINII, in ade SS. Trinitatis Symmysta, Collega & Compatriæ mei honoratissimi, institutum vel niveis signo lapillis, qui Filiis suis *Lingvarum, Rhetoricæ, & Logicæ* notitiam, in *Gymnasio nostro* excolendam nusquam non sedulo demandavit, quos etiam denuo nostris in Exercitiis Theologicis



cum reliquis optima spei, & debita industria Adolescentibus audiendos,
hoc ordine, quo in Classe potiuntur, sisto

JOACHIMUM FRIDERICUM EHLERUM
THEODORUM HEINIUM
FRIDERICUM HEINIUM
SAMUELEM HÜNEBURGIUM
HEINRICUM SCHLEIMANNUM WisMariensem,
MICHAELEM PRUSSIUM
SALOMONEM MÖLLERUM } Gedanenses.

Hos, notæ melioris Adolescentes, ut bonarum literarum MECÆ-
NATES, PATRONI, PROMOTORES & FAUTORES eâ facilitate, & be-
nevolentia, quâ antehac XV. *Adolescentes in Specimine*, doctrinæ
specimina prodentes, dignati fuerunt, *futuro 15. Julij* audiant,
nostraq; Juventus ad eundem Actum ornandum decente mode-
stia confluat, obnixè contendo. Et sane laudabilis discendi ar-
dor in Juventute ingenuâ non potest accendi luculentius, quàm
si vel labores suos juveniles præmiis, licet interdum exiguis, or-
nari videat, vel e splendidâ Magnorum Virorum præsentia cona-
tus suos in literis bonis meliores a Viris, Magnâ doctrinâ, digni-
tate, & Virtute excellentibus probari, & ex ætatu læ flore maturio-
ris Virtutis peti præfagia, coniciat. Sed nostra desideria voto
obsignemus. *Faxit alma Trinitas, ut, pace nostris Terris redditâ,*
cum Pietate & Virtute omni efflorescat Sapiencia, Bona litera, qua sub
Marte etiam suo apud nos non caruerunt splendore, nunc effulzescant, &
plura Musis Egenis apud Civis honoratiores, ex alto benedicendos, pate-
scant Hospitia! Gedani P. P. d. ii. Julii Anno 1660.




617.

di

m-

22.





DEO JUVANTE MAXIMO!
 SCRUTINIUM PUBLICUM,
 Philologico-Theologicum,

in quo
 locus

DE SCRIPTURA
 SACRA

Ex Generali Instructione & Catenâ Fidei

Per septem Classis Secunda Auditores industrios

sic resolveretur,

Ut Dicta Biblica ex Fonte ipso recitata, & Gramma-
 tice ad Logicè resoluta excutiantur, de iis Conclusiones Theo-
 logicæ propositæ Syllogismis confirmentur, & de Controversiis in hoc

